

T4

Argonautica V, 329-390

## L'incontro tra Medea e Giasone

- Forte deum variis per noctem territa monstros  
 330 senserat ut pulsas tandem Medea tenebras  
 rapta toris primi iubar ad placabile Phoebi  
 ibat et horrendas lustrantia flumina noctes.  
 Namque soporatos tacitis in sedibus artus  
 dum premit alta quies nullaeque in pectore curae,  
 335 visa pavens castis Hecates excedere lucis;  
 dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter  
 pontus et ingenti circum <est> stupefacta profundo,  
 fratre tamen conante sequi. Mox stare paventes  
 viderat intenta pueros nece seque trementem  
 340 spargere caede manus et lumina rumpere fletu.  
 His turbata minis fluvios ripamque petebat  
 Phasidis aequali Scythidum comitante caterva.  
 Florea per verni qualis iuga duxit Hymetti  
 aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus haerens  
 345 Pallados, hinc carae Proserpina iuncta Diana,  
 altior ac nulla comitum certante, priusquam  
 palluit et viso pulsus decor omnis Averno,  
 talis et in vittis geminae cum lumine taedae  
 Colchis erat, nondum miseros exosa parentes.  
 350 Ut procul extremi gelidis a fluminis undis  
 prima viros tacito vidit procedere passu,  
 substitit ac maesto nutricem adfata timore est:  
 “Quae manus haec, certo ceu me petat agmine, mater,  
 advenit haut armis, haud umquam cognita cultu?  
 355 Quaere fugam, precor, et tutos circumspice saltus”.  
 Audit virginei custos grandaeva pudoris  
 Henioche, cultus primi cui creditus aevi;  
 tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.  
 “Non tibi ab hoste minae nec vis” ait “ulla propinquat  
 360 nec metus; externo iam flammea murice cerno  
 tegmina, iam vittas frondemque imbellis olivae.  
 Graius adest, Graio sunt cuncta simillima Phrixo”.  
 Sic ait. At Iuno, pulchrum longissima quando  
 robur cura ducis magnique edere labores,  
 365 mole nova et roseae perfudit luce iuventae.  
 Iam Talaum iamque Ampyciden astroque comantes  
 Tyndaridas ipse egregio supereminet ore,  
 non secus autumno quam cum magis asperat ignes  
 Sirius et saevo cum nox accenditur auro  
 370 luciferas crinita faces, hebet Arcas et ingens  
 Iuppiter; ast illum tanto non gliscere caelo  
 vellet ager, vellent calidis iam fontibus amnes.

Regina, attonito quamquam pav ore silentem  
 exanimet, mirata tamen paulumque reductis  
**375** passibus in solo stupuit duce. Nec minus inter  
 ille tot ignoti socias gregis haeret in una  
 defixus sentitque ducem dominamque catervae.  
 “Si dea, si magni decus huc ades” inquit “Olympi,  
 has ego credo faces, haec virginis ora Diana,  
**380** teque renodatam pharetris ac pace fruentem  
 ad sua Caucaseae producunt flumina nymphae.  
 Si domus in terris atque hinc tibi gentis origo,  
 felix prole parens olimque beatior ille  
 qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis.  
**385** Sed fer opem, regina, viris: nos hospita pubes  
 advehimur, Graium proceres tua tecta petentes.  
 Duc, precor, ad vestri quicumque est ora tyranni  
 ac tu prima doce fandi tempusque modumque;  
 nam mihi sollicito deus ignaroque locorum  
**390** te dedit; in te nos atque omnia nostra repono”.